



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//
Canonicvm, Libri Qvatvor**

Lancellotti, Giovanni Paolo

Basileae, 1566

viiij. De Postulatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

gendi iure priuentur, id tamen non ad Primatem, aut Archiepiscopum, sed immediatè ad summum Pontificem deuoluitur.

Laici non possunt eligere. h. d.

a cap. sacrosancta. cap. massana. extra. de elect. c. 63. distind. per totum.

Laicis quoque, etiam si Principes sint, nullo neque consuetudinis, neque prescriptionis, neque conuentionis iure ad electionem aspirare permittitur. Patroni tamè circa iam factam electionem, non indecenter postulantur assensus.

b d. cap. sacrosancta. in fi. c. cum terra. in fin. eodè tit. ca. nobis. extra. de iur. patr.

Qualem Episcopum esse oporteat. h. d.

Oportet autem eum, qui in Episcopum eligendus sit (cùm Ars sit artium, regimen animarum) ætate maturum esse, natalibus illæsum, corpore integrum, fama candidum, literis instructum, religiosum, prudentem, temperatum, castum, hospitalem, mansuetum, irreprehensibilem, secundum ea quæ latius infra dicturi sumus: Si. n. ad seculares honores sine suffragatione meritorum indignum est perueniri, & notari ambitus solent, quos probitatis documenta non adiuuât: quàm diligens ac prudens habenda est dispensatio diuinorum munerum, & Ecclesiasticarum dignitatum?

c infra. de uit. c. honest. cleric.

Minor triginta annis, excommunicatus, suspensus, & non constitutus in sacris, & schismaticus non reconciliatus, non possunt eligi.

Igitur is, qui ad Episcopalem dignitatem promouendus

est, annos natus esse debet non minus triginta: nam ea ætate Dominum & baptizatum esse, & concionatum fuisse legimus: alioqui si quis minor fuerit, eligi non poterit. Idem Iuris est in ijs, qui aut excommunicationis, aut suspensionis vinculo sunt innodati. Sed nec ijs, qui in sacris ordinibus non sunt constituti, saltem sub diaconatu, neque schismatici eligi debent.

d cap. cùm in cunctis. extra. de electio. e can. presbiter. dist. 78. f supra, eodè tit. d. illud. c. s. seq. g can. de Syracusanæ. in fi. disti. 28. ca. amultis. de ætate et quali.

Eligentes indignum, per triennium eligi non possunt. h. d.

Illi quoque qui scienter indignum eligunt, non solum eligendi potestate priuandi sunt: verum etiam per triennium, ut ab alijs eligi possint, seipso inhabiles reddunt.

b cap. cùm in cunctis. d. fi. et cap. cùm Vintonens. c. cap. pe. inquisitio. ne. extra. de electione.

Neophytæ non possunt eligi. h. d.

Neophytæ quoque in Episcopos ordinari prohibentur: indecens est enim, & valde præposterum, eum fieri Magistrum, qui nondum didicit esse discipulus. Appellantur autem Neophytæ, qui propositum sacre Religionis nouiter assumpserunt.

i can. 1. dist. 48.

k can. 2. eadè distind.

DE POSTVLATIONE, TITVLVS VIII.

Quid sit postulatio. h. d.

Postulatio est eius, qui eligi non potest, in Prælatum concors capituli facta petitio.

l Glos. in uer. uera postulatio. cap. 1. de postulati. in 6.

Qui

Qui non animi, uel corporis uitio, sed alijs non potest eligi, puta minor xxx. annis, uel spiritus, potest postulari.

Sciendum est enim, quosdam esse qui quamuis eligi non possint, postulari tamen minimè prohibentur. Quæ res ita videtur posse commodè diffiniri, ut quicumque non animi, uel corporis uitio, sed ob alterius defectum qualitatis eligi impediuntur, ijdem tamè postulari possint. Ex hoc apparet eum, qui trigessimum annum nondum compleuit, item in minoribus ordinibus constitutum, aut laicum, item natalibus læsum^b, licet eligi non possint, postulari tamen posse.

Episcopus & electus debent postulari, non eligi: secus, Abbas, & alij inferiores. h. d.

Episcopus quoque cum propria sit alligatus Ecclesiæ, ad aliam transitum facere non potest: ea propter non eligendus, sed postulandus erit. Non idè iuris est^d in Abbatibus, & cæteris Prælatibus infra Episcopalem dignitatè constitutis: isti enim, licet propria Ecclesiæ videantur alligati, nihilo minùs eligi possunt: proprium tamen non deserunt Monasteriù, nisi licentia legitimè impetrata.

DE CONFIRMATIONE electionis,

TITVLVS IX.

Electus debet intra mensem consentire electioni, alioqui alius poterit eligi. h. d.

Nunc videndum est de confirmatione. Sciendum est itaque in primis, Gregoriana constitutione^e in Lugdunensi concilio cautum fuisse, ut electores, quàm primùm commodè possint, operam dent, ut electi consensum habeant: quem si infra mensem sine causa legibus cognita, electus accommodare distulerit, iure, si quod ei fuerat ex tali electione quæsitum, statim carere debere: Electoresque ad aliam electionem liberè posse conuolare.

Electus post consensum electioni præstitum, uel notitiam habitam, debet intra mensem ad sedem Apostolicam iter arripere, & quando citius poterit, confirmationem obtinere.

Eadem constitutione^f cauetur, electum infra tres menses post consensum electioni præstitum, si nullum iustum impedimentum obstitat, confirmationem à superiore Prælato petere debere: alioque trimestri spatio elapso electionem esse penitus irritandam. Sed cum interdum eueniat, ut aliquorum locorum uicinitas minus exigit, aliquorum distantia prolixius tempus exposcat, cõsultissimè Nicolaus tertius sanxit: Ut electi, quorum electionum confirmationes ad sedem Apostolicam examè deducit immediata subiectio, uel appellatio interiecta deuoluit, infra mensem post consensum, uel habitam de ipsorum electione notitiã, ad sedem ipsam

^e cap. quã sit, de elect. in 6.

^f d. cap. quã sit, de elect. in 6.

^g cap. cupientes, de elect. in 6.